

II

CONSTITUTIO APOSTOLICA «SPONSA CHRISTI» DE SACRO MONIALIUM INSTITUTO PROMOVENDO

1) Circumstantiae.—2) Evolutio.—3) Finis constitutionis.—4) Ratio et Methodus renovationis.—5) Subiectum.—6) Vita contemplativa.—7) Vota solemnna.

Diversis ex partibus orbis terrarum gratiarum actiones Summo Pontifici redditae sunt pro Constitutione Apostolica "Sponsa Christi" (I), insigni documento quo Pius XII institutum monialium promovet ac renovat. Institutum illud seu genus peculiare vitae religiosae, tam bene meritum de Ecclesiae et de Civili Societate, saeculorum decursu, dum fideliter ac constanter traditioni adhaesit, quid vivum semper permansit; respondebat enim desiderio abnegationis, recollectionis et unionis cum Deo multarum animarum et eodem tempore satisfaciebat missioni caritatis et apostolatus obligationi per orationem et sacrificium, aliquando vero etiam per opera exteriora, juxta exigentias temporum locorumve intra fines ipsi a jure a Ecclesiae recognitos vel assignatos.

I) CIRCUMSTANTIAE

In societate moderni temporis, interne et externe, per principia a Revolutione Gallica in tota Europa et in universa terra diffusa, per vicissitudines politicas, oeconomicas et sociales quibus historia XIX et XX intexta est, tam profundae immutata, ita ut ipse character personarum, sensus socialis, modus providendi necessitatibus oeconomicis et exigentiae spirituales societatis quam maxime differant ab illis quae vigeabant saeculis elapsis, figura et ipsum institutum monialium videri poterat uti quid aliquantulum pervetustum et non amplius vitalitate et actuositate donatum. Saeculo elapso condiciones sociales tales evaserant quod ipsa Ecclesia, nonnullius in

(1) Acta "Apostolicae Sedis", vol. XXXXIII (1951), p. 5 ss. Cum pagina Constitutionis afferatur id intelligendum est de hoc volumine A. A. S.

locis, coacta est pro monasteriis monialium vota sollemnia et consequenter characterem monialium suspendere. Plura monasteria vel religiones, etiam cum iterum possibile factum est notas monialis traditionalis reassumere, praetulerunt in novo stato, scilicet absque votis sollemnibus et consequentibus obligationibus permanere; hoc frequentius evenit in monasteriis illis quae suo tempore orta erant cum fine apostolico educationis juventutis. Censebant enim nimis difficile, quin dicam impossibile, esse opera apostolatus exercere sese subjiendo normis illis quae in jure Canonico clausuram Papalem pro Monasteriis votorum sollemnium constituebant. Exigentiae horum operum, sive quoad praeparationem Religiosarum, sive quoad rationem opera illa exercendi, toto caelo differebant ab exigentiis earundem operum prouti saeculis elapsis perficiebantur. Plurima quoque monasteria aliis in regionibus, praesertim saeculo XIX, ut suppressionem ex parte civilis societatis effugerent vel aliis de causis, opera apostolatus educationis susceperunt et intra septa ipsius monasterii externas personas admiserunt, opportunis ad hoc dispensationibus obtentis. Cum in istis monasteriis vota sollemnia et consequenter clausura Papalis servarentur et in dies exigentiae operum auferentur dispensationes a lege communi frequentiores et ampliores necessariae evaserunt, ex quo apparebat illarum conditio veluti anormalis incerta et non rite definita pro praesentibus adjunctis.

Mores sociales et oeconomicae vicissitudines nostri saeculi graves et continuas consequentias ordinis oeconomici produxerant in monialium monasteriis, ex quibus plura mediis necessariis ad vitam quoque destitutas videbantur: dotes insufficientes effectae sunt et frequenter nequeunt debita mensura afferri; elemosynae ex parte fidelium fere ubique deminutae sunt quoad numerum et quantitaem; activitas seu labor monialium quid minimum producit. Alia ex parte, exaltata ab omnibus dignitate ac missione laboris uti fons sustentationis, labor, quavis sub forma, apparere poterat necessarium et optimum medium pro praestanda monasteriis securitate oeconomica.

Praeterea nostris diebus mirum incrementum suscepit actuositas Ecclesiae pro instauratione regni Christi in societate a Christo sejuncta, et opportunum, quinimmo, aliquando necessarium, videri poterat quod moniales, in perpetuum Christo Domino atque Ecclesiae mancipatae, suam in Deum et in proximum caritatem per quaedam etiam opera in fidelium commodum comprobarent; quae opera tamen absorbenda essent a vita contemplativa, cui alimentum ac decorem afferent.

Exercitus Congregationum mulierum quae in Ecclesia mirum exemplum exhibent vitae religiosae et apostolicae cum regimine maxime respon-

denti indoli nostrorum temporum, in quibus isolatio significat vitam deminutam et aliquando praeparationem mortis, non poterat aliquid non suggerere ad utilitatem monasteriorum monialium a quibus nostrae sorores thesaurus vitae religiosae desumpserunt. De facto, hoc exemplo adductae, monasteria quaedam confederationem vel quandam unionem inter se inierunt (2). Rebus sic stantibus diversis ex locis Sanctae Sedi monialium monasteriorum conditio illustrata et opportuna remedia seu provisiones implorata fuerunt (3). Ubique porro ad monialium instituti incrementum quid desiderabatur.

Interea non pauci in re competentia et auctoritate carentes, rumores excitarunt ac diffuderunt de quadam reformatione instituti monialium nec menti Ecclesiae nec menti ipsarum monialium respondententi (4). Haec quae descripsimus unam ex causis constituebant quae urgebant studium ac definitionem plurium problematum accomodatae ac tempestivae renovationis vitae religiosae.

Providenter accidit quod durante celebratione Congressus de statibus perfectionis, Romae habita a die XXVI novembris ad VIII decembris anno MCML, pro eorundem accomodatae renovatione quoad vitam et disciplinam, quoad institutionem et formationem sodalium, quoad tandem apostolatum ordinarium et extraordinarium, uti exemplum huius renovationis prodiit et, tanquam primitiae membris Congressus data est Constitutio Apostolicae "Sponsa Christi cui titulus "De Sacro Monialium Instituto Promovendo".

2) EVOLUTIO

In prima parte Constitutionis, quae expositiva et doctrinalis est, exponuntur origo, instituti monialium atque atque eius evolutio tam externa quam interna (pp. 5-9) atque laudes huius instituti, ob fructos allatos tententur. In hac evolutione, vita mulierum quae, caritate impulsae, plene Deo et Ecclesiae sese mancipare exoptant uti privatum quid manifestatur,

(2) Inter praecipuas Foederationes Monasteriorum istae commemorari possunt: Unio Monasteriorum Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis a Nostra Domina de Jupille, constituta Decreto 2 Aprilis 1900; Unio Romana Ursulinarum, approbata per Decretum diei 17 Iulii 1903; Unio Romana Canonissarum Regularium S. Augustini constituta Decreto diei 17 Februarii 1932; Unio Monasteriorum Adoratricum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. pro dioecesis Canadensibus, per Decretum diei 22 martii 1944; Foederatio Monasteriorum Canonissarum Hospitaliarum a Misericordia Jesu Ordinis S. Augustini, Decret. diei 12 septembris 1946; Unio Monasteriorum D. N. a Caritate in Gallia; quaedam Uniones Monasteriorum Benedictinarum a S. S.mo Sacramento in Italia; etc.

(3) Constitutio, pp. 10-11.

(4) Ita Ephemerides Parisiensis "Figaro", "La Libre Belgique" diei 30 augusti 1949, "Orizzonti" diei 7 decembris 1950.

deinde vero apparet actio Ecclesiae, quae professionem virginitatis, paupertatis et obedientiae excipit, vitam communem commendat huiusque rationem interne ordinat et externe severioribus legibus defendit atque hoc modo typum monialis delineat, quam monialem in statu juridico publico, scilicet in statu religioso, constituit et hunc statum eidem usque ad recentiora tempora exclusive reservat.

Institutum monialium interne postea considerando, refert Constitutio quomodo ipsum ex constanti fidelitate traditioni mira unitate enituerit atque innovationibus quibuslibet restiterit: "id, intra certos justosque limites merito ipsi vertendum esse non est ambigendum" affirmat Summus Pontifex. Fixitas et unitas typi non impedivit nihilominus legitimas variationes, ex vita interna religiosa virorum monachorum, canonicorum regularium, mendicantium, clericorum regularium et aliquando etiam congregationum depromptas. Neque putuit impedire innovationes illas quae a bono ipsius proximi, propter amorem Dei diligendi praesertim recentioribus temporibus necessariae effectae sunt et quae a vita religiosa externa religionum virorum tunc ortarum exemplum et impulsus accipiebant. Sicuti viri, ita etiam mulieres in novis Ordinibus, servata porro debita proportione, attenta earundem missione in Ecclesia et conditione in civili societate respectivi temporis, propriam religiosam vitam internam et externam, saeculorum decurso composuerunt modo respondentem desideriis illorum qui ad vitam perfectionis adspirabant et necessitatibus proximi ex amore Christi providere intendebant. Hoc accidit praesertim pro religionibus illis monialium quae, vitam contemplativam canonicam profitentes et scriptam clausuram servantes "multa vero opostolatus et caritatis opera quae cum suo sexu suoque statu juridico consentanea habebantur ipsae laudabili sollicitudine ut sui muneris partes, fecerunt" (5). Romanus Pontifex in Constitutione animadvertit quod istae varietates et innovationes, hoc criterio inductrae, nempe servata generali vitae contemplativae ratione incolumi et firmis praecipuis receptae disciplinae normis ac principiis, maximum beneficium attulerunt, scilicet "novam veluti sanctitatis vim veteri instituto compararunt".

(5) Constitutio p. 9; Idem locum habuit etiam pro non paucis Monasteriis Ordinum qui ex Instituto vitam unice contemplativam sectabantur et ad susceptionem operum devenerunt vel ad evitandam suppressionem ex parte Gubernii civilis, vel ad providendum propriae sustentationi, vel denique impulsae a charitate erga proximum. Cum reintegrarentur domus religiosas utriusque sexus in Etruria, Pius VII per Litteras Apostolicas diei 13 augusti 1816 annuit ut "... ex Montalium coenobis quae restituenda erunt 25 eligantur, in quibus scholae ad puellarum instructionem constituantur" (Bull. Roman. Taur. Cont., vol. VII, P. III, p. 1367)

3) FINIS CONSTITUTIONIS

Relata verba Romani Pontificis bene considerata sunt, continent enim *finem et rationem accomodatae renovationis instituti monialium saeculis elapsis peractae et nunc peculiari ratione peragendae.*

Nulla modo agitur de suppressione vel subversione instituti monialium vel de substitutione elementorum essentialium sine quibus figura monialis concipi nequibat, sed finis Constitutionis, uti ipse titulus innuit, est incrementum instituti monialium per eiusdem accomodatam renovationem, ita ut sit et remaneat quid maxime vivum et activum in organismo vivente Ecclesiae et civilis societatis. Non agitur de defendendo aliquo monumento historico ad hoc ut maneat tamquam exemplum vitae et operum saeculorum praeteritorum sed de defendendo instituto vitae quod saeculis transactis summum monumentum historicum et religiosum habuit, quia, cum fuerit maxime vivens, producebat uberrimos fructus: hoc institutum vitalitate et fecunditate nunc quoque praestare debet. Moniales, quae ad nostra tempora solae statum publicum religiosum possidebant, quem statum nunc una cum congregationibus sororum possident, vivere debent de Ecclesia, cum Ecclesia, et pro Ecclesia quae perenni actuositate et juventute donata et renovata, hac vitalitate ad juventute omnia renovat.

Hunc in finem Summus Pontifex oculos dirigit in praesentem monialium conditionem: videt ex una parte haberi de facto divisio monialium in duas classes, ex quibus una vitam solummodo contemplativas sequitur, scilicet non habent opera apostolatus; alia vero vitae contemplativae canonicè probata apostolatus opera convenienter adjungit (Const., p. 9): ex alia parte autem perspicit utramque classem non leviter persentire temporum rerumque adjuncta ac mutationes. Ex hoc examine apparet quod:

a) canonicè monialium legislatio, prasertim attendita experientia Congregationum religiosarum, sive sub respectu autonomiae et separationis cuiusque monasterii ab aliis, non amplius plene et universaliter respondet adjunctis temporum et bono monialium, neque facile reddit exercitium operum, si quae habentur;

b) disciplinaliter monialium monasteria non in meliori conditioni inveniuntur, si religiosis Congregationibus comparantur: desunt enim visitationes internae; ex amisso contactu cum relativis primis Ordinibus spiritualis directio et fidelitas traditionali spiritui non sufficienter curantur; vocationes diminutae sunt numero ac qualitate earumque formatio et institutio defectuosa est ex carentia personarum ad hoc habilium vel ex deficiente delectu adspirantium;

a) oeconomico, monasteria frequenter in statu gravis inopiae versantur et ab aliis sejuncta ac separata non raro languescunt;

d) apostolice, crescentibus Ecclesiae animarumque necessitatibus, quibus omnium opera providendum est, moniales contemplationem etiam per quaedam opera moderati apostolatus ditescere debent juxta locorum exigentias et ecclesiasticae auctoritatis normas ad hoc praestitutas.

Desiderantur ideo quaedam provisiones in bonum ipsarum monialium quae proprio gloriosam vocationem in Ecclesia adimplere et fructus sanctitatis jugiter producere tenentur.

4) RATIO ET METHODUS RENOVATIONIS

Quomodo autem fiet desiderata et accomodata monialium instituti renovatio? Quomodo eidem maius decus et plenior efficacia tribui poterunt? Principiis et normis de hac renovatione, praemittit Romanus Pontifex animadversionem aliquam, scilicet in figura juridica monialium omnia elementa non eiusdem valoris ac efficacitatis habenda esse. Distingui possunt elementa essentialia, et talia censentur illa quae afficiunt primum ac praecipuum earum finem, nempe vitam contemplativam canonicam et quae hanc vitam constituunt ac distinguunt a vita omnium aliarum mulierum religiosarum. Deinde habentur elementa integrantia, quae monialium figura complent eamque fini praestituto aptam reddunt et huius assecutionem securam faciunt. Tandem habentur elementa pure accidentalialia quae tantum externa et historica sunt ex temporum adjunctis orta (p. 10). Elementa juridica monialium a Constitutione recensita haec sunt: vita contemplativa, vota sollemnia, clausura, oratio publica, autonomia domorum et federationes. labor monasticus et labor apostolicus. Animadvertendum est quod praefata diversitas momenti ac necessitatis elementorum figurae monialium valet quoque pro notis quibus quaedam elementa constituuntur. in clausura, v. g., distingui potest id quod est essentialia, integrans et accidentalialia.

Accomodata renovatio quam sibi proponit Romanus Pontifex haec singula elementa atque notas ex quibus ipsa constituuntur afficere debet, prae oculis habitis eorundem valore, necessitate et aptitudine essentiali ad finem. Hoc perficit Constitutio Apostolica "Sponsa Christi" praecise definiendo quatenam sit essentia vitae Monialium, quatenam elementa sint integrantia quatenus facilem et securam reddunt assecutionem finis et quomodo ideo ordinanda sunt, et quatenam sint pure elementa historica seu accidentalialia. In definitione et ordinatione peragenda Pius XII attendit ad figuram Monialis prouti hucusque exstitit in saeculis decursis delineatam et figuram

Monialis prouti exstare debet nostris temporibus. Per omissionem illorum quae "vel iam non prosunt vel maius bonum impedire valent", per aptiorem ordinationem elementorum integrantium, v. g., clausurae et autonomiae, et per introductionem aliorum elementorum quae nunc facta sunt necessaria vel utilia pro fine assequendo, v. g., foederationes, opera apostolatus, perficitur renovatio. Hunc in finem non tantum quaedam nova inducere utile erit, sed etiam quaedam in Codice exstantia applicare vel extendere Monialibus vel alia, forsitan derelicta, in praxim revocare.

Summi momenti est pro Constitutione Apostolica clare et plene definire naturam et finem vitae Monialium cui omnia alia elementa aptanda sunt.

Ordinando renovationem in primis Constitutio statuit generale principium seu norma absoluta; nempe firma manere prorsus debent nativa et potissima elementa instituti Monialium, renovatio inducitur "quoad elementa alia quae externa et adventicia censentur" introducendo illas accommodationes quae instituto Monialium tribuere possunt "maiorem decorem et pleniorum efficacitatem".

Hoc principio informatur tota Constitutio Apostolica et incrementum figurae Monialium in ipsa contentum; bene ideo prae oculis habendum est pro statuendis normis concretis circa innovationes inductas et pro solvendis dubiis in casibus particularibus. Romanus Pontifex ipse praefatum principium deinceps applicat et ab eo desumit plures normas generales quae exhibent criterium Ecclesiae de modo iudicandi et renovandi diversa elementa figurae iuridicae Monialium: vitam contemplativam, vota solemnia, clausuram, autonomiam et Uniones Monasteriorum, laborem monasticum et laborem apostolicum (pp. 10-14). Sive principium generale sive criteria particularia bene attendenda sunt, etenim ex ipsis informatur ac regitur renovatio instituti Monialium: normae concretae quae in Statutis Generalibus postea dantur non sunt nisi illorum applicatio quoad singula elementa. Conditiones Monasteriorum diversissimae sunt atque non raro problemata afferunt quae nequeunt solvi solis praescriptis Statutorum Generalium, tunc opportune recurrendum erit ad haec principia generalia quibus determinantur fines et ambitus accommodationis necessariae et possibilis. Ita, v. g., pro clausura, licet regulae articuli IV Statutorum et subsequentis Instructionis S. Congregationis de Religiosis, diei 23 novembris 1950 (6), sint satis definitae et plures difficultates solvant, dabuntur casus in quibus istae regulae insufficientes sunt; tunc ad dignoscendum quaenam exceptiones vel ampliaciones posibles sint, recurrere debemus ad generalia prin-

(6) Acta Apostolicae Sedis, vol. XXXXIII 19(1), pp. 37-44.

cipia. Quando sermo erit de singulis elementis: de clausura, de Foederationibus, de operibus, etc., dicetur quaenam sint principia applicanda.

5) SUBJECTUM

Subiectum cui Constitutio "Sponsa Christi" dirigitur sunt Moniales de quibus in can. 488, 7.^o, nempe "religiosae votorum solemnium" et illae quarum vota ex instituto sunt solemnia", seu quae ex propria regula vel Constitutionibus vota solemnia emittere debent, sed, de facto, ex praescripto Apostolicae Sedis pro aliquibus locis emittunt tantum vota simplicia.

Ad excludendas quasdam opiniones et ad solvenda dubia ab aliquibus enuntiata (7) Constitutio in art. I, § 1, Statutorum Generalium clare affirmat nomine Monialium venire etiam omnes illae religiosae quae vota simplicia, perpetua vel temporaria nuncupant in Religionibus in quibus vota solemnia vel actu emittuntur vel ex instituto emitti deberent. Hoc repetitur in eodem articulo, § 2, legitimo Monialium nomini (can. 488, 7.^o) et iuris Monialium applicationi minime officit "professio simplex legitima emissa". Professio votorum simplicium legitime emissa dicitur quando omnibus imponitur ab Ecclesia uti praeparatio ad vota solemnia (can. 574, § 1) vel quando praescribitur vel permittitur pro Monasteriis in aliquibus regionibus, loco votorum solemnium, uti quid transitorium fundatum in contingentibus temporum et locorum adiunctis.

Consequenter Constituto in art. III, § 1, Statutorum Generalium sancit vocem "Monialis" eandem extensionem habere ac vox "Regulares" pro viris (8): sicuti Regulares habentur professi votorum simplicium temporarium in Ordinibus virorum, ita Moniales sunt Religiosae quae haec vota emittunt in Monasteriis Monialium. Item Moniales sunt illorum Monasteriorum Religiosae conversae quae tantum habent vota simplicia perpetua.

Nihilominus advertit Constitutio, quod ex contextu sermonis vel ex rei natura vox "Monialis" potest habere minorem extensionem, ita, v. g. in art. V, § 3, Moniales votorum simplicium temporarium non adstringuntur recitationi privatae Divini Officii cum a choro abfuerint.

Subiectum ideo Constitutionis sunt Moniales, et omnes Moniales sensu supra descripto: non interest quaenam Regula profiteatur ab ipsis vel quibusnam Constitutionibus regantur; nihil refert quaenam fuerit earum origo historica, scilicet utrum determinata Monasteria orta sint primitus uti

(7) E. MAGIUS COUSSA, *Praelectionibus in L. II C. I. C. De Personis* (Tipis Poliglottis Vaticanis), 1947, n. 386.

(8) J. CREUSEN, *Religieux et Religieuses*, 5e ed., p. 15. Cfr. quoque can. 647 § 1.

domus Beguinarum, vel uti Communitates Tertiariarum, vel uti Conservatoria vel domus piarum mulierum vota tantum simplicia profitentium. Cum, decursu temporum, ex impositione S. Sedis (9), vel ex eiusdem concessione (10), in aliqua Communitate mulierum vota solemnia introducta sunt, tunc ipsa habenda est uti Monasterium Monialium eodem titulo ac illa quae ab initio orta sunt sub determinata Regula praescribenti vota solemnia, et, naturaliter, permanet Monasterium quousque vota solemnia de facto emittuntur vel eorum suspensio debetur dispositionibus Sanctae Sedis pro aliquibus regionibus datis.

Pro recta intellectione vocis "Moniales" et consequentis extensionis Constitutionis "Sponsa Christi", perpendendi sunt casus in quibus vota solemnia, olim a Constitutionibus seu ab instituto praescripta, non amplius emittuntur ex concessione vel ex praescripto S. Sedis, distincto a praescripto generali quod et quod ratione peculiarium circumstantiarum, pro omnibus vel fere omnibus Monasteriis alicuius loci votorum solemnium professionem suspendebat. In huiusmodi casibus peculiaribus vota simplicia loco solemnium data vel imposita sunt occasione, v. g., constitutionis Unionis vel Foederationis, vel Congregationis, vel occasione approbationis Constitutionum seu Statutorum seu earundem adaptationis ad Codicem. vel alia occasione (11) et quasi semper mutatio fundatur in impossibilitate servandi clausuram papalem una cum exercitio operum apostolatus. Mutatio tunc non tantum afficit praxim sed ipsum institutum, substitutio votorum solemnium per vota simplicia sancita est in Constitutionibus et quid definitivum apparet.

Attento tenore verborum can 488, 7.º, dicendum est Religiosas quarum Constitutiones secumferunt nunc vota simplicia stricte non venire nomine Monialium; non enim emittunt vota simplicia ex praescripto Apostolicae Sedis pro aliquibus locis, sed ex praescripto particulari pro aliquo vel

(9) S. Pius V id fecit Constitutione Apostolica "Circa Pastoralis", diei 29 mii 1566 (Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 447), qua Domus Tertiariarum nolentibus introducere vota solemnia interdicit novas admittere sodales.

(10) Leo X, in Litteris Apostolicis diei 13 augusti 1517, renovat et confirmat concessionem votorum solemnium factam a Sixto IV in favorem Sororum Tertii Ordinis S. Francisci. (De Gubernatis, Orbis Seraphicus, III, pp. 846-847.) Benedictus XIII in Bulla "Pretiosus" diei 17 iunii 1727 commemorat quod Iulius II vota solemnia concerserat omnibus Tertiaris Ordinis S. Dominici. (Bull. Rom. Taur., vol. XXII, p. 522.)

(11) Canonissae Regulares Lateranenses Neapoli in novo Monasterio susceptae, ea conditione ut puellas educarent, orto dubio de natura earum votorum, ad Sedem Apostolicam recursum habuerunt. Gregorius XVI, die 24 septembris 1841, respondit: "Volumus ut in futurum professio simplicium votorum ab ipsis fiat" (Acto Gregorii XVI, vol. III, p. 175). S. Congregatio EE. et RR., die 16 decembris 1836, declarabat vota Monialium Tertii Ordinis S. Dominici in civitate Aesina esse simplicia et pro nunc non expedire ut solemnia emittantur, eodem tempore illas Moniales hortabatur ut curam puellarum susciperent. (BIZZARRI, *Collezione S. C. EE. et RR.*, ed. 1885, pp. 76-77). Illae decisiones prodibant etiam mentem S. Sedis saepe manifestatam, tunc tempore non expedire concedere vota solemnia.

aliquibus Monasteriis vel pro Unione Monasteriorum introducto in Constitutionibus.

Resolutio data a S. Congregatione de Religiosis die 11 octobris 1922 (12), statuens quod si Monasterium Monialium, ex instituto habentium vota solemnia, extra loca pro quibus extat peculiare praescriptum, domum seu fundationem constituit, vota in hac nova domo solemnia esse debere, et ideo necessariam esse licentiam S. Sedis, non afficit casus nuper descriptos ex quo sequitur in Codice nomine Monialium non venire Religiosas quarum Constitutiones non amplius continent vota solemnia. Animadvertendum tamen est frequentissime illa Monasteria vel Uniones seu Congregationes Monasteriorum privilegia vel saltem nomen Monialium retinere, ita Monasteria Ursularum Unionis Romanae (13); Unio Romana Monasteriorum Canonissarum Congregationis a Nostra Domina (14); Monasteria earundem Canonissarum Congregationis de Jupille (15); Monasteria Monialium Tertii Ordinis S. Francisco in Helevetia a Provincia Helevetica Cappuccinorum dependentium (16). Definitio vero art. I, § 1, Statutorum generalium, si bene perpenditur, generalior apparent ac illa quae est in can. 488, 7.º, omittuntur enim verba: "sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia", et ita dicitur: "Monialium nomine in hac Constitutione, ad normam iuris (c. 488, 7.º) veniunt, praeter Religiosas votorum solemnium illae etiam quae vota simplicia, perpetua vel temporaria, professae sunt in Monasteriis in quibus vota solemnia vel actu nuncupantur vel ex instituto emitti deberent." Unde sufficit quod vota debeant esse solemnia ex instituto ut nomen et ius Monialium competat ali-

(12) A. A. S. Vol. XIV (1922), p. 554. Illa resolutio statuit quod si Monasterium Monialium quae ex instituto habent vota solemnia, extra praedictas regiones novum aliud Monasterium constituit, in hoc Monasteria vota solemnia esse debere et ad hanc fundationem necessariam esse licentiam S. Sedis.

(13) Decretum diei 24 Ianuarii 1928 expresse hoc dicit. (*Règle et Constitutions de l'Union Romaine de l'Ordre de Sainte Ursule*, p. 283.)

(14) Congregatio dicitur pars Ordinis, Domus in Decreto diei 16 Iunii 1936 vocantur Monasteria Ordinis. (*Règle et Constitutions de l'Union Romaine des Chanoinesses Régulières de Saint-Augustin de la Congrégation de Notre Dame*, p. 406.)

(15) Cfr. Decretum approbationis Unionis diei 5 Februarii 1910. (*Statuts concernant l'Union des Monastères des Chanoinesses Régulières de Saint-Augustin de la Congrégation de Notre Dame de Jupille*, pp. 2-3.)

(16) Decretum S. Congregationis de Religiosis diei 18 Martii 1940. (*Regel und Satzungen der Ordensfrauen des heiligen Franziskus...*, p. 104.)

Animadvertendum est quod aliquando Monasteria quae vota solemnia amiserant propter praescripta S. Sedis pro aliquibus locis, Constitutiones decursu temporis receperunt in quibus non amplius continentur professio solemnis sed vota uti simplicia considerantur. Ita Monasteria Congregationis Canonissarum Regularium Hospitaliarum a Misericordia Ordinis S. Augustini, quarum Constitutiones emendatae revisae et ratae habitae sunt a S. Congregatione de Religiosis Decreto diei 5 Ianuarii 1932.

cui Monasterio. Bene tamen omnia attendenda sunt ad definiendum utrum Religiosae ex instituto adhuc ordinem dicant ad vota solemnia. Sufficitne ad hoc quod Monasteria vel Domus religiosae adhuc dicantur pars Ordinis, uti accidit pro Congregatione Religiosarum a Domina Nostra constituta ex pluribus Monasteriis in Ordine a Domina Nostra a S. Joanna de Lestonnac condita? Sufficitne quod Constitutiones de facto servant nomen Monialium vel Monasteriorum et quod ut tales Religiosae et earum Domus vocentur in Documentis pontificiis, licet in Constitutionibus noviter approbatis imponantur tantum vota simplicia?

Quis opponere posset quod Monasteria et Uniones Monasteriorum quorum Constitutiones mutatae sunt ita ut nunc non amplius praescribant vota solemnia, sed tantum vota simplicia, nequeunt dici requirere vota solemnia ex instituto et ideo non posse venire nomine, nec regi iure Monialium, neque affici a praesenti Constitutione Apostolica. Si tamen consideratur quod haec Monasteria adhuc dicuntur esse pars Ordinis alicuius cum hucusque uti Monasteria votorum solemnium extiterint et Ordo, ratione sui, requirat vota solemnia, aliqua ratione teneri potest illa ex instituto requirere vota solemnia. Quod confirmatur ex eo quod revera istae Domus religiosae conservant praxim vitae in usu apud Monasteria et vota simplicia assumpserunt saepe contra propriam voluntatem et unice ut facilius vacare valeant operibus apostolatus.

Concludi potest quod stricto iure Monasteria quorum Constitutiones non amplius praescribunt vota solemnia non veniunt nomine Monialium et non afficiuntur a nostra Constitutione praesertim in illis quae obstaculum constituere possent pro operibus apostolatus; in favorabilibus vero, v. g., quoad possibilitatem et invitationem reassumendi vota solemnia, quoad characterem publicum Divini Officii afficiuntur a Constitutione ita ut ipsis pateat aditus ad reintegrationem in statu Monialium votorum solemnium et iure et facto.

Revera reductio praedictarum Monialium ad statum Religiosarum votorum simplicium dici potest quid violentum vel anormale, innixum in eo quod hucusque ius Monialium incompatible faciebat exercitium operum cum earum conditione, Constitutio vero "Sponsa Christi" hanc innovationem magni momenti inducit, nempe destrui illam incompatibilitatem et dat normas de modo uniendi apostolatum vitae contemplativae, convenientissimum ergo est quod Moniales quae ad classem Religiosarum votorum simplicium descenderant, illa de causa, nunc frui valeant beneficiis et novo iure inducto a Romano Pontifice per Constitutionem "Sponsa Christi".

Quando vero Monasteria in decurso temporum simpliciter conversa sunt in domus Religiosarum votorum simplicium, quin amplius ullo titulo ordinem dicant ad vota solemnia et eorum genus vitae omnino commune sit cum genere vitae aliarum Sororum, tunc certe eisdem non applicatru Constitutio.

Ea quae diximus videntur confirmationem invenire in art. I, § 3, Statutorum Generalium in quo legitur: "Apostolica haec Constitutio iuridice non respicit: 1) Congregationes religiosas (c. 488, 2.), Sororesque ipsarum Sodales (c. 488, 7.), quae ex instituto vota tantum simplicia nuncupant; 2) Societates mulierum in communi ad instar religiosarum viventium earumque Sodales" (c. 673).

Congregationes religiosae et Societates sine votis publicis non afficiuntur et pariter non afficiuntur Domus autonomae votorum simplicium etiamsi harum omnium vita sit contemplativa et rigidae clausurae subiciantur ex praescripto Constitutionum.

Absq̄ue dubio tamen normae in nostro solempni Documento contentae, v. g., de inducendis foederationibus pro domibus autonomis, de apostolatu, de labore monastico et de clausura pro omnibus uti normae directivae pro ipsis considerari valent, continent enim mentem S. Sedis in hac materia. Incommoda autonomiae et separationis, necessitas zeli animarum et opportunitas sese sustentandi labore proprio pro omnibus valent. Haec applicari possunt Domibus autonomis votorum simplicium Ursularum, Domibus Religiosarum Petrosissimi Sanguinis D. N. J. C., Domibus Hospitaliarum quae numquam vota solemnia habuerunt et diversis Congregationibus profitentibus vitam contemplativam, uti Religiosis Passionistis, etc.

6. VITA CONTEMPLATIVA

Institutum Monialium, seu ipsarum proprium genus vitae et status atque munus in Ecclesia resolvitur in vita contemplativa, ita ut defensio, incrementum et renovatio vitae contemplativae. Hoc est obiectum seu materia Constitutionis "Sponsa Christi".

Principium generale Constitutionis est: firmiter tenere nativa et potissima elementa "venerandi Monialium Instituti" et huic instituto addere "maiores decorem et pleniores efficacitatem" (17), consequenter primum criterium accomodatae renovationis hoc est: "Monasteria omnia Monialium vitam contemplativam, ut primum atque praecipuum suum finem, ca-

(17) Constitutio, p. 10.

nonice et ubique profiteri debere" (18). Logice ideo prima norma in Statutis Generalibus enuntiata haec habetur: propria et nativa ratio vitae religiosae Monialium est vita contemplativa canonica, et hanc vitam contemplativam Moniales "fideliter sub rigida regulari disciplina colere debent" (Statut. Gen., art. II, § 1). Istis principiis commemoratur duplex genus vitae religiosae pro mulieribus: contemplativae et non contemplativae et omnino urgetur permanentia vitae contemplativae. Differentia inter duplex genus vitae nequit esse nominalis, nec pure iuridica sed vere substantialis, ita ut quando vita contemplativa canonica in domibus religiosis servari habitualiter non potest, tunc character monasticus, qui index est et peculiaris conditio profitentium vitam contemplativam, nec concedi nec retineri potest (Stat. Gen., art. II, § 3). Diversae sunt in Ecclesia vocationes et missiones; nequeunt omnia ab omnibus fieri: adest vocatio et missio religiosae vitae contemplativae et omnino necessarium est hanc intactam et integram servare eamque distinguere a vita aliarum religiosarum.

Nulla modo accomodatio figurae Monialis significat vel secumfert diminutionem aestimationis et cultus quem Ecclesia semper fovit pro virginibus vitae contemplativae.

Utiliter Constitutio in art. II, § 2, Stat. Generalium dat notionem vitae contemplativae canonicae, scilicet vitae contemplativae prout intenditur et ordinatur a iure Ecclesiae. Modo negativo statuit Romanus Pontifex vitam contemplativam canonicam non esse confundendam cum vita contemplativa interna et theologica quae est ipsa activitas animae unionem cum Deo prosequens: haec vita est quid intimum ad quod omnes vocantur et quod non regitur praescriptionibus canonicis; in iure Ecclesiae tamen non fit abstractio ab hac vita contemplativa theologica, quia ad ipsam ut ad finem ordinatur vita contemplativa canonica, analogice ad id quod accidit in iure religiosorum seu in vita religiosa canonica relate ad perfectionem charitatis.

Deinde modo positivo Summus Pontifex describit vitam contemplativam canonicam eiusque diversa elementa exhibet. Elementum genericum continetur in verbis "exterior disciplinae religiosae professio" quibus clare asseritur vitam contemplativam canonicam esse quamdam externam formam vitae iuridicae et publicae in statu religioso; elementum specificum autem in aliis verbis exhibetur, ex quibus apparet quod vita religiosa ab Ecclesia ordinata dicitur contemplativa quando eius regimen et structura disponuntur tamquam ad finem ad interiorem contemplationem tali ratione

(18) In accomodata renovatione figurae Monialium nullo modo ergo deprimitur vita contemplativa.

seu modo quo prosecutio interioris contemplationis necessario informet et absorbeat totam vitam totamque actionem religiosarum. Hoc obtinetur sapienter seligendo illa quae efformant disciplinam et occupationes vitae religiosae atque in aptando et ordinando media perfectionis religiosae: vota, clausuram, exercitia pietatis, opera mortificationis, labores sive apostolicos sive manuales vel monasticos, commercium cum extraneis ita ut religiosa facilius et quasi necessario transferatur ad interiorem contemplationem. Igitur exclusa supponuntur omnia quae, etsi in se bona, ansam dare possent dissipationi et quae a religiosis appeti possent per se et non ratione Dei, vel quae magnam partem diei insumerent ita ut religiosae impedirentur ab expletionem illorum exercitiorum quae ipsis imponuntur ut plenius orationi et unioni cum Deo deditas sint. Religiosae huius vitae praecipue circa Deum in se occupantur ad Hoc ut Ipsi non deficiat debitus cultus ex parte humanitatis et ut aliae religiosae et aliae personae, quae circa Deum in proximo attingendum occupantur, facilius in proximo Deum inveniant vel adducant.

Vita contemplativa canonica ergo illa est quae ab Ecclesia constituitur ac definitur opportunis legibus communibus et legibus particularibus in Constitutionibus cuiusque Religionis contentis.

Finis huius vitae semper fuit et semper erit interior contemplatio, media vero canonica ad illam perveniendi quamdam mutationem subire valent iuxta diversas animarum necessitates et temporum varias circumstantias. Iudex et ordinator mediolorum iure nativo est Romanus Pontifex.

Media seu elementa vitae contemplativae canonicae ab eius definitione in art. II, § 2, Statutorum Generalium enumerata sunt: clausura, exercitia pietatis, orationis et mortificationis et denique labores. Cum agatur de Monialibus praesupponuntur vota solemnna.

Clausuram medium est negativum ad hoc ordinata ut custodiat vitam contemplationis atque hortum conclusum in quo floret, ita ut nullo saeculari et profano contactu turbari valeat, neque ulla insidia violetur. Saeculis elapsis haec custodia intendebat defendere castitatem et recollectionem spiritus Monialis, nunc vero finis potissimus est in tuto ponere recollectionem animae per silentium et solitudinem. Severe urgetur clausura etiam pro illis Monasteriis quae ad ipsam ob legitimas impetratas dispensationes non obligantur.

Uti infra dicetur, definitio clausurae a Monialibus servandae relinquatur iudicio Ecclesiae: ipsa enim competenter decernere potest in genere et in concreto quaenam separatio ab extraneis requiratur ad hoc ut Monasterium dici possit habere vitam contemplativam.

Exercitia pietatis orationis et mortificationis iuxta voluntatem Ecclesiae sunt, sunt medium positivum et elementum necessarium ac potissimum vitae contempletivae canonicae. Modo peculiari inter religiosas mulieres Moniales ab Ecclesia ad publicum exercitium virtutis religionis deputantur: ipsae enim solae inter religiosas mandatum accipiunt, nomine Ecclesiae recitandi in Choro (can. 610, § 1) vel privatim (can. 610, § 3) Divinum Officium, quod ideo pro ipsis publica oratio efficitur. Romanus Pontifex in praesenti Constitutione (art. V, § 3, Statut. Generalium) maximi facit hoc nuntius Monialium et privatam recitationem horarum canonicarum pro illis quae a Choro abfuerunt quodammodo imponit etiam Monialibus quae vota tantum simplicia emittunt; dicit enim "Ecclesiae mens est... ut Moniales vota perpetua simplicia loco solemni profassae, pensum Divini Officii fideliter absolvant". Dicitur quodammodo imponit, quatenus Constitutio ad hoc non adhibet verba rigorosam obligationem continentia; verba "Ecclesiae mens est" plusquam simplicem exhortationem continent, et in casu dici potest quod Moniales istae tenentur ad privatam recitationem Divini Officii eadem vi ac tenentur ad re assumptionem votorum solemni, quod in art. III, § 2, Statutorum Generalium exprimitur per verbum "curabunt".

Ex cura qua Ecclesia tuetur clausuram papalem et Divini Officii recitationem apparet quomodo ipsa sollicita sit de tuenda vita contemplativa Monialium. Numquam in Constitutione Apostolica vel in subsequenti Instructione S. Congregationis de Religiosis suggestio fit de reducendis exercitiis pietatis vel orationis vel mortificationis ut potius Moniales operibus apostolatus vacent. Constitutio e contra repetitum urget pro Monialibus rigida regularem disciplinam (Stat. Gen., art. II, § 3), et exercitia mortificationis (Stat. Gen., art. II, § 2).

Labores et ministerium ex expressa declaratione huius Constitutionis fieri possunt elementum positivum vitae contemplativae; quinimmo in aliqua moderata mensura necessaria sunt, ideo, evidenter haberi debent uti compatible cum vita contemplativa canonica. In parte doctrinali Constitutionis datur criterium pro conciliatione peragenda: "labores et ministeria, quibus Moniales vacare possunt ac debent, talia esse oportet atque ita quoad locum, tempus, modum rationemque ordinanda ac disponenda sunt, ut vita vere et solide contemplativa, sive totius Communitatis sive singularum Monialium, salva non tantum sit sed iugiter alatur ac roboretur" (Const., p. 11). Labores et ministeria non tantum nequeunt reputari impedimentum pro vita contemplativa sed, uti dicit Summus Pontifex debent fieri medium quo ipsa "iugiter alatur ac roboretur". Lex laboris et obligatio charitatis,

qua Deus et homines diliguntur, semper normam absolutam constituerunt pro Monialibus quae in perpetuum "Christo Domino atque Ecclesiae" sese mancipaverant, formae tamen quibus haec norma in praxim deducta est iuxta diversas circumstantias temporum et locorum variae fuerunt et adhuc variare possunt in singulis Religionibus. Quando praesertim a saec. XVI multae puellae in gravi periculo versabantur perversionis in fide, ex defectu convenientis educationis, excitavit Deus Moniales vitae contemplativae quae illarum puellarum educationem, uti munus sibi a Domino collatum, sumpserunt.

Moniales, quarum vocatio plene totaque apostolica est, nequeunt indifferentes manere damnis quibus animae exponuntur, ideo, tempore quo ipsae pietatis et orationis exercitiis occupatae non sunt, sicuti possunt et aliquando debent laboribus manualibus vel cuiusque generis vacare, ita etiam valent operibus apostolatus incumbere. Apostolatus exercitium, natura sua, non opponitur vitae contemplativae canonicae eiusque fini, scilicet interiori unioni cum Deo; e contra, incrementum ipsi afferre valet. Non eo ipso quod aliquae habentur apostolatus opera dici potest cessasse vitam contemplativam et Religionem effectam esse vitae activae vel mixtae. Permanentia vitae contemplativae canonicae pendet a genere, a modo et a mensura rationeque operum apostolatus, uti postea dicitur. Munus est Ecclesiae, et hoc munus adimplet in praesenti Constitutione, definiendi quaedam ministeria compatiblea sint cum vita contemplativa canonica cum profectu animarum, animarum et cum spirituali utilitate ipsarum Monialium

Constitutio, non solum, in art. I, § 2, Statutorum Generalium, statuit quod legitimo Monialium nomini et iuris Monialium applicationi minime officit "operum apostolatus exercitium", sed etiam praevidet quod apostolatus quibusdam in circumstantiis imponi posset.

Ex praedictis nemo legitime concludere valet in praesenti Constitutione, iuxta aliquorum praevisionem et forsitan quorundam votum, vita contemplativa minus aestimari quam vita activa et huic postponi. Nullibi in Constitutione opera apostolatus praeponuntur orationi et pietatis exercitiis nec horum immunutio innuitur: uti praecipua instrumenta communis omnium Monialium apostolatus haec Romanus Pontifex adhibenda proponit: exemplum christianae perfectionis, precationem publicam nomine Ecclesiae et privatam perenniter Deo omnibus formis offerendam et studium perfectionis. Alia instrumenta apostolatus, quibus immediate in proximorum animos actio exercetur, manent secundaria, licet aliquando necessaria. Moniales nullo modo invitantur ut solitudinem et claustra derelinquant et

cum populo in diversis exercitiis magisterii vel charitatis commercium habeant, sed nonnullis classibus personarum: pueris, iuvenibus, mulieribus, etc., aliquid aditum ad quandam partem Monasterii aperitur, sub debitis cautelis ne vita contemplativa Religiosarum damnum patiatur.

Utiliter animadvertendum est quod non ab omnibus Monasteriis eadem mensura opera apostolatus exercenda praevidentur, id pendebit a Constitutionibus et a praescriptis S. Sedis. Praeterea, exercitium apostolatus non praevidetur ut quid normale pro omnibus Monasteriis vel pro omnibus Monialibus alicuius Monasterii. Constitutio distinguit Monasteria quae unice vitam contemplativam profitentur et alia quae opera apostolatus habent, haec distinctio momentum habet pro determinatione clausurae, omnia tamen monasteria sunt Monasteria vitae contemplativae canonicae.

Legitime concludi debet quod accomodata renovatio iuris Monialium primatum agoscit vitae contemplativae et ipsam defendere sibi proponit. Ipsa sanctio in art. II, § 3, Statutorum Generalium est proprie tuitio vitae contemplativae. Character monasticus, cum consequenti honore et conditione iuridica particulari privilegiata, nequit concedi illis domibus religiosis quae in se non referunt elementa substantialia vitae contemplativae et nequit agnosci illis Monasteriis quae haec elementa decursu temporum amiserunt.

Quaenam sint haec elementa, apparet ex hucusque dictis. In primis attendi debet ad clausuram: art. IV, § I, 2.º, statuit mutandum esse in domum religiosam Congregationis vel Societatis illud Monasterium in quo constat clausuram, saltem minorem, ex more servari non posse. Art. III, § 2, enuntiat obligationem iterum suscipiendi vota solemnia; quapropter in iure actuali nequit habere Monasterium sine votis solemnibus, nisi in illis circumstantiis in quibus, de iudicio Ecclesiae, locus est conservandi vel extendendi praescriptum olim latum pro aliquibus regionibus. Plena mancipatio Dei servitio et contemplatio coelestium rerum exigunt totalem separationem a rebus terrenis. Labor monasticus et ipse labor apostolicus peculiari ratione exerceri debent ut sint "pignus suavis et efficacis coniunctionis vitae contemplativae cum activa, ad exemplum Nazarethanae Familiae" (Constitutio, p. 13).

Non sunt elementa necessaria vitae contemplativae canonicae et ideo characteris monastici recitatio Divini Officii (can. 610, § 1; Statutorum Generalium, art. V, § 2) et autonomia Domorum (Statutorum Generalium, art. VII, § 5). Dari possunt Constitutiones Monasteriorum quae non praescribunt recitationem Divini Officii vel diversimode ac Codex eius obligationem determinant. Codex ac nostra Constitutio Apostolica urgent obli-

gationem Divini Officii ad normam Constitutionum cuiusque Monasterii. Ideo non officia characteri et iuri Monialium praescriptio solius Officii B. M. V. vel eximere ab obligatione privatae recitatione Divini Officii illas Moniales quae a Choro abfuerunt. Nec obstat vitae contemplativae organisatio foederativa Monasteriorum; haec nova ratio ordinandi Monasteria a Constitutione inducitur praecise ad provehendam vitam contemplativam (Statuta Generalia, art. VII, § 2, 2.^o), ergo potius fit eius elementum, quinimmo, ex speciali concessione S. Sedis, autonomia Monasteriorum etiam ad minimum reduci et, etiam extingui posset, sine ullo praeiudicio pro characteri iuridico Monialium (Statuta Generalia, art. VII, § 5, 2.^o).

Vita contemplativa canonica essentialis est omnibus Monasteriis Monialium ex ipso eorum instituto, tamen in Constitutione "Sponsa Christi" distinguuntur Monasteria quae unice vel pure vitam contemplativam profitentur (Const., p. 12; Statuta Generalia, art. IV, § 2, 2.^o; § 3, 3.^o; art. IX, § 2 et alia quae quibusdam operibus apostolatus cum extraneis vacant (Const. p. 10; Statuta Generalia, art. IV, § 3, 2.^o; art. IX, § 1). Haec distinctio vero non innitur in gradu vitae contemplativae canonicae, quasi Moniales quae nullis operibus apostolatus vacant sint Moniales strictiori sensu quam aliae; uti iam dictum est, distinctio allata respicit necessitatem vel occasionem relationes habendi cum personis extraneis Monasterio in ordine ad determinationem speciei clausurae eiusque definitionem et in ordine ad obligationem sese devovendi huiusmodi operibus apostolatus. Etiam Moniales ex more absque operibus apostolatus debent per aliquod tempus, magis minusve extensum, labori monastico vacare (Constitutio, p. 13; Statuta Generalia, art. VIII) et quis forsitan posset dicere et ipsas tunc non unice vacare contemplationi. Forsitan utraque species Monialium eadem exercitia pietatis et mortificationis habet et differentia inter ipsas in hoc reponitur, quod durante tempore libero ab oratione et ab aliis exercitiis vitae regularis una species occupatur in labore materiali vel alia specie laboris, alia species, vero, occupatur in laboribus apostolatus. Potestne tunc dici quod illae quae vacant operibus apostolatus in gradu inferiori vitae contemplativae inveniantur relatae ad alias ex hoc solo facto quod huiusmodi operibus incumbunt in favore proximi?

Si gradus vel species vitae contemplativae distinguere licet, fundamentum distinctionis reponendum esse videtur potius in ratione qua exterior professio disciplinae religiosae, ex diversis elementis definitis in art. II, § 2, Statutorum Generalium conflatae, ordinatur in interiorem contemplationem et in modo quo tota vita et actio sodalium reguntur et ducuntur ad unionem cum Deo. Non ad ipsum apostolatum attendi debet pro iudicanda vita

contemplativa, sed ad genus operum apostolatus susceptorum et ad modum quo exercentur: utrum nempe exclusum maneat omne quod dissipationi vel nimiae absorptioni ansam dare posset, uti esset nimis frequens commercium cum quolibet genere personarum sive in Monasterio sive extra. Praesertim attendi debet ad diversa media quae Monialibus offeruntur pro interiori contemplatione, v. g., locus qui orationis exercitiis et meditationi tribuitur, segregatio ab extraneis, rigor disciplinae, etc.

Una ex praecipuis innovationibus a Constitutione Sponsa Christi inductis agnoscenda est in ratione qua apostolatus moderatus una cum vita contemplativa canonica classica harmonice componitur: Romanus Pontifex hoc solemnibus documentis plurimum animarum adspirationibus respondet et tandem convenientem conditionem iuridicam atque ordinationem constituit pro illis Monialibus quae, Deo et Ecclesiae mancipatae, hucusque quasi in statu violento inveniebantur, subiectae enim erant regimini iuridico constituto pro alio genere Monialium, liberis nempe quovis opere immediate in favorem proximi. Praesenti Constitutione in luce ponitur peculiaris ex distincta vocatio Monialis, quae in Ecclesia a pluribus saeculis lineata, nunc definita propria figura donatur. Si pluribus abhinc annis extitisset accomodatio inducta a "Sponsa Christi" locum non habuisset recessus a votis solemnibus multorum Monasteriorum Monialium.

Praeterea ipsa classica antiqua figura Monialium vitae contemplativae ditior evadit, quatenus in adiunctis modernae societatis vocationem apostolicam quam semper Moniales habuerunt etiam quibusdam operibus opportunè exercere valent, quin vitae contemplativae valedicant.

7) VOTA SOLEMNIA

Vota solemnia essentialè notam constituunt qua Moniales a Sororibus distiguuntur (can. 488, 7.^o) et vi cuius usque ad praesens saeculum ipsae solae uti verae religiosae admissae sunt (Constitutio, p. 9). Moniales Galliae, amissis votis solemnibus, non amplius uti verae Religiosae vel professae in aliqua Religione (19) agnitae fuerunt, sed tantum uti piissimae foeminae et earum Monasteria dicebantur "non esse Ordines Religiosos, sed familias Piarum mulierum" (20). In iure vigenti, ratione votorum solemnium quae emittuntur saltem ab una classe Religiosarum in Monasterio, omnes in tali Monasterio professae Monialium nomine ve-

(19) Responsum s. Poenitentiariae diei 23 decembris 1835. (BIZZARRI, *Collectanea S. C. EE. et RH.*, p. 455.)

(20) S. Poenitentiariae responsum diei 26 novembris 1852. (GRAISSON, *Les Communautés religieuses à voeux simples*, p. 315.)

niunt et inter Regulares recensentur (21). Professae autem in Monasteriis ubi nulla emittit vota solemnia tantummodo in quibusdam adiunctis nomen et ius Monialium retinent, uti supra fusius dictum fuit.

Constitutio Apostolica commemorat quod vota solemnia non tantum peculiarem conditionem iuridicam producant, ex qua specialis honor solemniter professis agnoscitur, sed quoque "arctiorem ac plenioram quam alia publica vota Dno consecrationem secumferunt" (Const., p. 11). Suspendio facultatis emittendi vota solemnia a S. Sede statuta vel concessa Monialibus Galliae, Belgii, Hollandiae, Statuum Foederatorum Americae et quarumdam aliarum regionum, v. g., Australiae et Insularum Philippinarum (22), de qua in can. 488, 7.^o, mentio fit, "odiosam dispensationem (c. 19) secumferre dicenda est" (Constitutio, p. 11); opponitur enim notae iuridicae essentiali Monialium et impedit perfectam sequelam Christi plenam renuntiationem et deditioem exposcentis. Quatenus odiosa, illa suspensio stricte est interpretanda, et huius strictae interpretationis exemplum praebuit S. Sedes per declarationem S. Congregationis de Religiosis diei 11 octobris 1922, qua statutum est Monasteria condita ab illis Monasteriis extra regiones pro quibus data erant praescripta supponere et requirere vota solemnia. Constitutio, praeterea, declarat cessasse illas causas ob quas, contra mentem ipsarum Monialium, auctoritas ecclesiastica coacta fuerat decernere suspensionem votorum solemnium. Peculiares circumstantiae, quae commemorantur uti causae praedictae dispositionis reducuntur pro Gallia, Belgio et Hollandia ad difficultatem observandi votum solemne paupertatis ob legem prohibentem renuntiare propriis bonis; reducuntur ad difficultatem servandi clausuram papalem, iuxta rigidas normas hucusque datas; pro Statibus Foederatis Americae reducuntur ad difficultatem servandi clausuram addebatur difficultas servandi normas disciplinae ecclesiasticae circa Monialem quae ad saeculum redire vellet, et hoc ob sensum libertatis illius populi (23). Istis omnibus causis, in maiori parte casuum, uniebatur insecuritas Monasteriorum ob civiles leges religionis institutionibus nullo modo faventes. Nonnullae ex enumeratis circumstantiis, et praesertim difficultas servandi clausuram papalem rigidam eamque conciliandi cum susceptis operibus apostolatus ultima medietate

(21) Professae votorum simplicium temporariorum dicebantur frui et gaudere omnibus et singulis favoribus et gratiis spiritualibus quibus fruebantur solemniter professae cfr. S. Congregatio EE. et RR. diei 30 septembris 1864 (BIZZARRI, *Collectanea S. C. EE. et RR.*, p. 736) et Decretum "Perpensis" diei 3 maii 1902 idem repetebat (GASPARRI, *Fontes Codicis, I. C.*, vol. IV, n. 1036.)

(22) Pro aliis regionibus non habetur dispositio generalis S. Sedis suspendens vota solemnia, sed hoc factum est pro singulis casibus.

(23) BIZZARRI, *Collectanea*, p. 487, ss.

saeculi XIX et etiam primis decenniis praesentis saeculi S. Sedem induxerunt ad decernendam suppressionem votorum solemnium in pluribus Monialium Monasteriis.

Diuturna experientia, sive virorum sive mulierum, comprobat vota solemnium ibi etiam servari posse ubi non amplius a Codicibus civilibus agnoscuntur, quod est quasi commune in omnibus nationibus; iidem porro Codices habent media quibus vis canonica voti solemnii paupertatis etiam civilem efficaciam obtinere valet, quas normas Codex Iuris canonici servandas esse praescribit (can. 581, § 2).

Dificultas pro clausura papali servanda, praesertim quando opera apostolatus exercentur, universim persentita, prudentibus novis normis in Constitutione Apostolica et in Instructione S. Congregationis de Religiosis, diei 23 novembris 1950 datis et praevisa possibilitate indulgentiarum non amplius urgent. Quinimmo, et hoc prae oculis haberi debet, illam obligationem servandi clausuram, quae pro Monialibus etiam post amissionem votorum solemnium declarata fuerat, non tamen sub poenis a Romano Pontifice editis (24), nunc Constitutio Apostolicae "Sponsa Christi" expresse renovat et etiam sub poenis uti papalem, saltem minorem, imponit (Statuta Generalia, art. IV, § 5, 1.) et hoc etiam pro Monasteriis opera apostolatus exercentibus. Unde sub respectu clausurae Monasteria quae ex instituto habere deberent vota solemnium, sed de facto non habent, practice in eadem conditione inveniuntur ac illa quae iure et facto habent vota solemnium.

Ecclesia, nunc, tamquam praeparationem ad vota solemnium etiam Monialibus praescribit periodum votorum temporariorum (can. 574, § 1); praeterea a notabiliter inmutavit modum procedenti pro consecutione solutionis etiam a votis solemnibus atque facilius agnoscit adesse causam sufficientem pro hac dispensatione, ita ut iure vigenti nulla Soror nec ulla Monialiter invita cogitur in Monasterio permanere. Proinde neque ex hac timeri potest grave incommodum.

Circumstantiae in quibus versantur Moniales in diversis regionibus orbis non multum differunt: ubique sufficienter iuridice provideri potest illarum securitati etiam oeconomicae. Haec est ratio cur Ecclesiae actio et legislatio iam ab aliquibus annis simul conspirent ad restituendam facultatem emittendi vota solemnium. Decreto diei 4 iunii 1923 S. Congregatio de Religiosis statuit nihil obstare nostris temporibus pro reassumptione votorum solemnium. Constitutio "Sponsa Christi", praemisso quod non oportet Moniales "honore, merito et gaudio" quae per emissionem voto-

(24) S. Congregatio EE. et RR. diei 1 augusti 1839. (BIZZARRI, *Collectanea*, p. 87.) A. A. S., vol. XV (1923), p. 357.

rum solemnium habentur, privare, in Statutis Generalibus, art. III, § 2, decernit “nisi graves obsint rationes, eadem iterum suscipere curabunt”.

Praefata verba non tantum commendationem vel consilium continent, sed praeceptum; haec enim est mens totius Constitutionis, quae extollit dignitatem et meritum Monialium plene Christo eiusque Ecclesiae sese mancipantium earumque institutum promovere intendit elementa substantialia tuendo et illarum disciplinam iuxta exigentias nostrorum temporum ordinando. Verbum “curabunt” quo Constitutio utitur in Codice continet non solum consilium, sed earum obligationem uti deduci potest ex canonicis 743, 1067, 1113, 1062 et 666. Una cum Codice (can. 488, 7.) Constitutio statuit vota solemnia esse notam praecipuam Monialium et addit, optime componi posse cum hodiernis circumstantiis vitae neque ideo adesse causam sufficientem pro odiosa restrictione praeteriti temporis.

A restauratione votorum solemnium excusare valent solummodo “prorsus graves rationes”; quatenus tamen sint istae rationes, nullibi expresse dicitur in Constitutione, sed teneri potest graves rationes in casu illas esse quae olim S. Sedem ad suspendenda vota solemnia induxerunt, vel alias quae eandem provisionem exigent. Practice, cessatis universim praeteriti saeculi causis, nec novis ita gravibus ortis, concludi debet quod, exceptis regionibus sub ditione Communistarum vel in regimine persecutionis, nullibi adest sufficiens causa excusans a restauratione votorum solemnium. Praesenti Constitutione locum invenit illa provisio de qua sermo fit in declaratione lata pro Monialibus Galliae die 1 augusti 1839, quando, ad dubium: “Utrum vota quae nunc emittunt Moniales Galliae sint solemnia”, responsum fuit: “Negative, donec aliter a S. Sede decernatur.”

Quis difficultatem invenire posset in maiori facilitate qua nostro tempore etiam professae votorum solemnium ad saeculum redire valent, quo in casu solemniter professae non amplius haberet bona patrimonialia pro sustentatione necessaria. Haec difficultas non caret momento; per impositionem periodi votorum temporariorum ante vota solemnia iam aliquantulum provisum est inconsideratae emissioni votorum solemnium; cum tamen casus discessus voluntarii, per petitionem dispensationis, et etiam coacti, per dimissionem, non raro locum habeant, opportune difficultati provideri posset perficiendo in iure particulari regimen dotis. Dos enim non tantum utilis est pro sustentatione Monialis in Monasterio, sed etiam in deprecatu casu exitus ab ipso.

Proulantibus ingressum in Monasteriis Monialium dos est obligatoria (can. 547, § 1); nihil impedit postulanti quantitatem dotis, a Constitutionibus vel a legitima consuetudine statutam, augere momento quo ipsa

dos constituitur (can. 547, § 2), vel illam augere tempore successivo inclusive usque ad momentum quo fieri debet renuntiatio omnibus bonis. Cum haec bona datâ tamquam dos, licet ultra summa dotis definitam, regimen dotis sequantur et quoad administrationem (can. 549-550) et quoad restitutionem in casu exitus vel transitus (can. 551), ipsi Moniali discedenti vel coacte una cum summa dotis restituenda essent. Tunc Monialis non esset destituta mediis necessariis ad vitam.

Ex alia parte animadvertendum est quod renuntiato facta omnibus bonis propriis (can. 581) et incapacitas nova bona acquirendi pro seipsis (can. 582) cor et manus radicitus separant a bonis materialibus et ita facilius a tentationibus infidelitatis propriae vocationi. Omnibus perpensis, totalis et plena abdicatio bonis materialibus a Divino Instituto vitae religiosae intenta et constanter ab eius alumnis in praxim deducta ab Ecclesia fovetur et imponitur in favorem illarum animarum quae plene Deo sese tradere cupiunt in Religionibus vota solemnia praescribentibus.

Tandem liceat adnotare quod praefata difficultas non est particularis quibusdam regionibus, sed generalis est et intrinseca ipsi naturae votorum solemnium. Monasteria, quae hanc difficultatem formidant, possunt descendere ad gradum Domorum religiosarum votorum simplicium, et nullam sufficientem rationem habent conservandi nomen et ius Monialium.

Obligatio restaurandi vota solemnia urgetur pro Monasteriis ipsis non pro singulis Monialibus; quapropter Moniales quae iam vota simplicia perpetua emiserunt et ita statum definitivum elegerunt, iuridice, etiam absque seria ratione, possunt permanere in votis simplicibus: Art. III, § 2, Statutorum Generalium dicit Monasteria posse impetrare vota solemnia, quinimo ea iterum suscipere curabunt. Talis est etiam praxis S. Sedis cum vota solemnia Decreto suo concedit: in decreto huiusmodi legitur: "Si quae ex praesentibus Monialibus sint quae nolint sese votis solemnibus obstringere liberum eis sit in votis simplicibus permanere, sed ipsae bene noverint se stricta obligatione teneri observandi adamussim leges clausurae Papalis." Stricto iure iniusta non posset dici impositio votorum solemnium professis votorum perpetuorum in monasteriis Monialium; ipsae enim professae sunt in Religione quae ex instituto imponit vota solemnia et pro qua suspensio votorum solemnium est quid extraordinarium et de se temporaneum, scilicet perdurantibus aliunctis quae ad suspensionem decernendam S. Sedem adduxerunt.

Aliae Moniales quae votis simplicibus temporariis ligantur, novitiae et omnes quae in futurum vota perpetua emittere postulabunt ad professionem votorum solemnium tenentur. Eadem fuit ratio agendi S. Sedis quando sus-

pensionem votorum solemnium decrevit: S. Poenitentiaria, die 1 Decembris 1820, repondit iam solemniter professos non amittere vota solemnia, Decreta vero respicere illos qui deinceps vota emissuri essent. Nequeunt tamen vota solemnia emittere Sorores Externae, nempe Religiosae quae a legibus clausurae non ligantur: firmum semper remanet principium vota solemnia secumferre strictam clausuram papalem Maiorem vel Minorem. Pro Sororibus conversis, denique, standum est Constitutionibus: S. Sedis Decreto quo restaurationem votorum solemnium concedit vel statuit haec resituit prout in unoquoque Ordine vel Monasterio legitime ordinata sunt.

Attenta obligatione restaurandi vota solemnia, nisi obstent prorsus graves rationes, ipsis Monasteriis agnoscitur non simpliciter ius eligendi vel minus vota solemnia, sed potius eisdem facultas datur videndi ac considerandi an de facto adsint huiusmodi graves causae, iudicium tamen definitivum S. Sedi reservatur.

Ex verbis secundae partis, § 2, art. III, Statutorum Generalium et ex mente S. Sedis ac spiritu quo Constitutio Apostolica informatur conclusimus reassumptionem votorum solemnium obligatoriam esse; haec obligatio vero non ita apparet urgenda ut omnia Monasteria quae intra spatium vacationis legis (can. 9) vel quamprimum postea vota solemnia non restaurarunt dicenda sint violasse hanc obligationem. Verba quibus praedicta obligatio enuntiatur, quaeque aliquibus videri possent continere tantum adhortationem vel vehemens consilium vel facultatem pro reassumptione votorum solemnium, licentiam dant illis quibus id spectat iudicandi quodnam tempus opportunius et quaenam ratio procedendi aptior habeatur pro praedicta restauratione. Hoc exprimitur per verbum "curare"; cura ut aliquid fiat potest requirere etiam lentam preparationem, iuxta casus. S. Congregatio de Religiosis, quae Decreto particulari concedit vel statuit restaurationem votorum solemnium, supponit quod Moniales instruantur circa obligationes proprias votorum solemnium et quod Monasterium quadam securitate oeconomica gaudeat, ita dici possit satis provisum esse congruae Monialium sustentationi. Praeterea, cum vota solemnia secumferant immediatam constitutionem et observantiam rigidae clausurae papalis, aliquando forsitan ipsa aedificia monastica adaptiones exigunt quae reintroductionem votorum solemnium retardant.

Concessa a Romano Pontifice alicui Monasterio facultate emittendi solemnium vota, non eo ipso vota simplicia Religiosarum quae id desiderant et manifestant convertuntur in solemnium; novae obligationes continentur in votis solemnibus, ideoque convenienter praescribitur emissio novae professionis in qua vota solemnium expresse nuncupantur.

Ex iure, vota religiosa, cum publica sint (can. 1308, § 1), nomine Ecclesiae a proprio legitimo Superiore secundum Constitutiones recipi debent (can. 572, § 1, 6.^o). Superiorissa Monasterii in quo vota solennia restaurantur recipiet proinde vota suarum religiosarum, ipsa vero, cum ex regula non habeat superiorem internum infra Romanum Pontificem, professionem emittet in manibus illius qui ad hoc a S. Sedi deputabitur. Decretum S. Congregationis de Religiosis pro concessione votorum solennium hanc delegationem tribuit Ordinario cum facultate etiam per alium vota Superiorissae recipiendi.

Uti iam dictum est, Moniales quae in votis simplicibus permanere desiderant, hoc eligere possunt; illarum conditio iuridica in Monasterio quoad vocem activam et passivam et quoad alia iuri eadem erit ac conditio aliarum Monialium; pariter etiam obligationes, exceptis illis quae in solemnitate votorum continentur, communes erunt, nisi aliter dicatur. Decretum S. Congregationis quo vota solennia dantur expresse commemorat pro Monialibus in votis simplicibus permanentibus obligationem servandi clausuram papalem, mentionem tamen non facit de sanctionibus; sed ipsa Constitutio Apostolica imponit huiusmodi Monialibus clausuram papalem, saltem Minorem, sanctionibus quoque comminatis. (Statuta Generalia, art. IV.)

In quantum cognosci potest, videtur quod fere unanimiter et ubique Moniales vota solennia exoptant et a S. Sede implorant, quod certe renovationem earumdem Monasteriorum significat.

L. † S.

P. AELIUS GAMBARI, S. M. M.